A D
ALEXANDRUM.
IMPERATOREM. TOTIUS. ROSSIAE.
REGEM. POLONIAE.

DIE. TRIGESIMA. MENSIS. AUGUSTI. V. S.

1816.

INSTYTUT
BADAŃ LITERACKICH PAN
BIBLIOTEKA
00-330 Warszawa, ul. Nowy Świat 72
Tel. 26-68-63

http://rcin.org.pl

G R A T U L A T I O.

Fundacji im. J. J. Michalskich
Ze zbiorów

Ite procul curæ triſtes, procul ite querelæ!
Ecce fugata redit, gloria Sarmatiæ.
Cardine firma novo, reſpirat Natio, finis
Hinc eſt triſtitiæ, lætitiæque caput.
Quod non effreni, ſed libertate potitur,
Quam lex, quam ratio, quam probat ipſa fides.
Enervare homines, immenſa licentia ſvevit,
Bella movens Superis, dum movet illa Thronis.
Mutatis rerum vicibus, Cælo Auſpice, quod nunc
Protinus, eſt omnis redditus ordo ſibi.
Legibus eximiis (injuſtæ evertere regnum
Debuerant) ſua quod viſque decuſque redit.
Quod ſibi nunc figant blanda oſcula: *Juſtitia et Pax*,
Nec ſit Chriſticolis, nomen inane fides.
Quod Lechus æterno, cum Ruſſo fædere junctus,
Non diſſolvendam firmat amicitiam.
Congaudent omnes pariter, pariterque rependunt
Omnes, venturo, damna priora, bono.
At Cui debentur Dona hæc et munera tanta?
Dat per ALEXANDRUM, munera tanta

D E U S.

24.437

INSTYTUT
BADAŃ LITERACKICH
BIBLIOTEKA
00-330 Warszawa ul. Nowy Świat 72
Tel. 26-68-63

http://rcin.org.pl

GRATIARUM ACTIO.

Tot Tibi, sint Grates, tot Laudes, CHRISTE Triumphans
Ac per ALEXANDRUM, tot tantaque Munera præstans,
ORBI ROSSIACO, EUROPÆ. REGNOQUE POLONO.
Quot sunt, in libris apices, quot Sydera Cælo.
Gramina quot terris, variæ, quot corpora formæ.
Quotve modi rerum, positura, quotve figuræ.
Quot numeri, et mensuræ, et pondera, quotve recenset
Africus Æthiopes, Indos, quot Americus orbis.
Europa, Ingenuos, Asiæ Provincia claros...
O! JESU
Quot sunt pretiosi Sangvinis, à TE,
Guttæ profusæ, partem Sudoris in Horto,
Partem, de toto laniato Corpore, flagris.
Scommata quot, blasphema in TE, ac opprobria jacta.
Quot fuerant MATRIS, languores, sub Cruce Stantis.
Et quot ALEXANDRI, suut Acta et Provida Dicta.
Et CONSTANTINI Fraterno Sanguine Juncti.
Quotque boni, per Eos, toti Pax præparat Orbi.
Tot Tibi sint Laudes, tot Grates CHRISTE Triumphans. (*)

(*) Cum Ipse det omnibus, vitam, et inspirationem, et omnia. *Act.* 17. *v.* 25.
Non longè est, ab unoquoque nostrum. *v.* 27.
In Ipso enim vivimus, et movemur, et sumus. *v.* 28.

T. C. S. P.

Fundacji im. J. I. Michalskich
Ze zbiorów

http://rcin.org.pl

http://rcin.org.pl